

Discursus physicus de forma, altero, interno, nobiliori, essentiali princip...

Thuronius, Andreas,



National Library
of Sweden

Var B

Dis.
Ab.

Adspiret capitis Jehova!

DISCURSUS PHYSICUS

De

FORMA,

Altero, Interno, nobiliori, Essen-
tiali principio corpus Naturale constituente,

QUEM

Ductu Auxilioq; Divino,

*Ad suffragium & adprobationem Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ, in percelebri ac Regia ad Auram Academiâ,*

PRÆSIDE

DN. M. ANDREA THURONIO,
Log. Phys. & Metaph. Professore publico celeberrimo,
nec non p. t. Universitatis Rectore Magnifico, Præceptore & promotore ut certissimo, ita pio observantia cultu perpetim devenerando.

Pro Honoribus in Philosophia ac consuetis privilegijs consequendis, publico Eraditorum examini, ac placidæ censura, ventilandum, modestè submittit

PETRUS Wagner Angermannus,
S. R. M. Alumnus & S. S. Theol. Stud.

In Aud. Sup. & Max. horis ab 8vâ antem. ad diem 26. Mart. A. 1664.

A B O Æ,

Excusus à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

800 2/4

e. H. O. Drake



Reverendo Admodum & Amplissimo VIRO,
DN. M. PETRO STEU-
CHIO, Dioceseos Hernofandensis Superinten-
denti meritissimo, Consistorij Præsidi gravissimo,
Ejusdemq; Civitatis & Parœciæ Sebroënsis Ec-
clesiarum Pastori fidelissimo;

U T E T

Perquam Reverendis, Clarissimis, Reverendis & Ve-
nerabilib. Ejusdem Dioceseos, Viris,

DN. PRÆPOSITIS DIGNISSIMIS,

DN. LECTORIBUS REGIIS, Consi-
storijq; Adfessoribus eximijs.

DN. PASTORIBUS vigilantissimis;

ILLI, Domino, Promotori ac Patrono, ut ante hæc
Patrifamilias exoptatissimo, ita nunc studiorum
meorum mecænari magno, pio observantiæ cultu
reverentèr suspiciendo,

HIS, Promotoribus, Fautoribus & evergetis certissimis
observantiâ quâ par est officiosè venerandis;

Discursum hunc inauguralem, in grati animi
symbolum & continuandi favoris
spem, reverentèr & officiosè

dicat & offert

PETRUS Wagner
Auth. & Respond.





Præfatio.



Loquentiæ Romanæ Pa-
rens Cicero, studiorum Philoso-
phicorum diffi ultatem pariter
ac præstantiam concinnè docens,
inquit: *magnum opus & difficile
quis negat Philosophiam? quod au-
tem præclarum, non idem ac ardu-
um?* L. 3. Tusc. cujus omnes fe-
rè boni doctrinam approbare haud dubitârunt: diffi-
cilis enim perceptu est Philosophia: non tam sui, seu
objecti ratione, quam nostri, seu subjecti. Malum prò
dolor, facile nobis; difficile vero bonum. Præclara
tamen est Philosophia: jucunditatem ex eâ insignem,
ac utilitatem, ejus quos tenuit cupido, magnam degu-
stârunt: jucundius enim quid est quam scire? quid de-
niq; utilius quam benè vivere? Philosophia præstat u-
trumq;. *Æneas sylvius ipsam egregio decorat Encomio, ins-
quiens: Hac te primùm ad divinum cultum, deinde ad jus ho-
minum, quod est situm in humani generis societate, tandem
ad modestam animum erudiet, & ab animo, tanquam ab o-
culis caliginem removebit, ut supera, prima, media ac ultima
videas; quis igitur literis insudare noluerit? quando tantus
ex his fructus percipitur, in quibus boni & mali notitia; que
nobis, præterita referunt, præsentia moderantur, futura indi-
cant: sine literis omnis cæca ætas est. Quare multi gustum
ejus tantum primis ut ajunt labris percipientes, postea*

A

TOTOS

totos sese meditationum fluctibus ita immergere, ut cibi potionisq; rerum deniq; omnium eos ceperit oblivio, & mori maluerint, quam non Philosophari: multi autem in ejus castris militantes, dotibus animi & corporis benè politi, ad quævis in vitâ communi munia obeunda, promptiores evaserunt. Unde Aristoteles: *melius est, inquit, Philosophari quam ditari.* Et Seneca: *omnia impedimenta dimitte & vaca apud philosophiam.* Salvo igitur honestatis, & veritatis jure, crebrius hanc pervolvendam ac sedulò ediscendam, nemo est sanæ mentis qui non fateatur. Quod hæctenus de Philosophia in genere dictum est, id ad discursum nostrum præsentem; de FORMA altero corporis Naturalis principio constitutivo: satis difficilem, utilem tamen ac periuicundum verè applicari potest. *Forma enim res divina est* Scal. exerc. 307. Sect. 29. & quo mirabilior atq; nobilior res forma est, eo cognitu difficilior: cum tamen chara sint quæ rara: difficultas calcar addat euntibus. Mihi ergo cum ad consensum, & amplissimæ facultatis Philosophicæ, in Regia Academia Aboensi, approbationem, specimen publicum pro summis in dictâ facultate honoribus consequendis, edendum esset, hæc ipsa materia digna visa est, nec minus ardua quam præstans, in qua ingenij proventum, viresq; qualescunq;, aperirem & explicarem: non quod omnes difficultates me in eâ putarem posse emetiri, sed quod quemvis in me disputatore defectum, materiæ nunquam satis commendata nobilitas, suppleret & compensaret.

Sit itaq; quod benè sit!

Thef.

T H E S. I.

Vlâ considerationem formarum aggredi si ve-
limus commodiori, operæ pretium fecisse omninò,
muneriq; haud immeritò suscepto, conluisse existima-
mus, si in limine, quotuplici in Scientia Naturali sese
silitant, conceptu, formæ, perpendatur: duplici nimi-
rum; *Absolute uno* seu Entitativo, quo omnis forma in se
actu est, & substantia, (licet incompleta) à materia in
qua, tanquam domicilio, habitat, diversissima. *Respectivo*
altero seu formali, quem juxta non quamlibet, sed a-
ptam informat materiam, eamq; actuat & perficit, ut
cum eâ elaboratâ certam constituat speciem. Hic au-
tem conceptus respect. non ita continuus, ac semper
perpetuus est, quin forma ab operationibus, ob indi-
spositionem materiæ, haud rarò suspendatur ac cesset;
integrâ tamen formæ ac perfectâ essentiâ, cum susten-
tatione & actuatone materiæ, nè corrumpatur ac pu-
treseat, reverà præsentè, quamvis latente, ut per exter-
nas operationes sese non exerat. Sic tempore hyber-
no, formæ æquè perfectâ, ac integrâ in plantis est, earumq;
semina actuat, ac ne intereant, servat & sustentat, ac æstivo;
interim tamen nec folia, nec flores, nec fructus pro-
ducit, Hinc E. tenendum probè formam alicubi posse esse
essentialiter, non formaliter, alicubi utroq; modo simul.

II. Hisce, obiter propter intelligentiam sequentium
meliorem, paucis præmissis, placet cum Clarissimis Phi-
losophis ejusmodi subnectere definitionem. *Forma est*
causa interna, per quam corpus Naturale constituitur.

III. In definiti explicatione circa duo potissimum
occupabimur. 1. Circa acceptionem vocis, quæ (ut alias
ejus acceptiones à variis variè recensitas præteream) sumi-

tur. *α.* Pro figura artificiali, operâ artificum, scamno,
 mensæ, alijsq; hujusmodi factis superinductâ. *β.* Pro ex-
 terno motore, aliâs formâ assistente, rei essentiam non
 constituyente, verum potius constitutâ, & esse specificum
 habente, ad particularia, quæ formâ informante effici
 non possunt, munia edenda, superveniente: cujusmo-
 di est in navi nauclerus, in schola præceptor. *γ.* Pro
 figura naturali externa spectantium oculos subeunte,
 quartamq; in prædicamento qualitatis speciem constitu-
 ente: ut hominis & equi forma externa. *δ.* Pro forma
 informante seu specificâ quæ principium est, & altera
 pars compositi, constituens id intrinsecè, varijs qualita-
 tibus exornans, operationum deniq; omnium fons præ-
 existens: significatum hunc postremum facimus hac vice
 negotio præsentis proprium. 2. Circa æquipollentes voces
 easq; varias. *α.* *Græcas* utp. quod dicitur 1. *μορφή* (undè
 Scal. exerc 302. per transpositionem literarum ratur dedu-
 ctam formam) 2. *ἐντελέχεια ἀπὸ τῆς ἐντελέως ἡμὶ ἐχειν*,
 ut sit perfectionis possessio, immò haud immeritò hoc
 insignitur nomine forma, tale enim principium est, ut
 suam composito det perfectionem, ei largiendo esse spe-
 cificum, constituendo illud in certa specie, agendi de-
 niq; facultates, & operationes perfectas communican-
 do, primus namq; fons operationum est forma in com-
 posito propriarum. 3. *ἔϊδ* @, *ἔσσια*, *λόγ* @ *τῆς ἔσσιας* &c.
β. *Latinas* quod appellatur. 1. *Actus*, respectu cum materiæ,
 quam actuat & determinat ad certam speciem recipien-
 dam, tum totius compositi quod perficit, atq; operatio-
 num, quas dat & moderatur. 2. *Species*, quia non mo-
 do est materiæ speciosum ornamentum; sed imprimis
 specificat compositum, inq; specie constituit determi-
 natâ. 3. *Essentia*, *differentia*, mensura, atque *terminus*, re-
 spectu.

specu generationis quam terminat, materiæ quam determinat, & accidentium deniq; quæ, ut debitâ proportionem & certo modo sint in corpore, expendit.

IV. Definitionem datam duplici absolvi conceptu, cuius patet. 1. *Generico seu convenientia*, cujus causa vires interna sustinet, specifica enim forma compositi essentiam intrinsecè constituendo, ingreditur, E. causa illius interna est. 2. *Differentia*, quam propria præstat causalitas, ejus enim beneficio corpus Naturale est id quod est, eiq; forma esse specificum largitur non *effectivè*, non *subjectivè*, sed *formaliter*, quatenus seipsam materiæ communicat, eamq; ita actuat atq; informat, ut ultimam perfectionem obtineat, simulq; speciem constituat.

V. Dividitur forma *Primò* in *Genericam & specificam*. *Generica* est quæ speciem non constituit magis quæ materiæ rationem habet quam formæ, hæcq; complectitur, subordinatas, Accidentarias, partiales, & genericam in specie sic dictam.

VI. 1. *Subordinata* sunt quæ sub dominio specificæ formæ latent, donec à jugo liberatæ suas edunt operationes. In homine sub regimine specificæ plurimæ sese occultant subordinatæ, utpote 4. Elementorum, aliæq; quæ tum formæ specificæ non sunt, sed materiæ indolem induunt, compositi vero totius specificâ egressâ, sese exerunt, adq; regimen specificum, quod antea obtinuerunt, redeunt. Zabarella hoc ipsum elegantè similitudine illustrat lib. 6. de gen. *inquiens: sicut, si moro tuo rege servus fieret rex, is erat prius rege adhuc vivo, tamen non erat ut rex, ideo si quæras an creatus novus rex necnè, dicendum dubio procul, novum creatum mutatumq; regem esse: ita in viventis interitu, eatenus nova acquiritur forma specifica quatenus quæ prius erat, tanquam*

conditio materiæ, substans formæ nobiliori, nunc incipit esse forma, & compositum constituere.

VII. 2. *Accidentaria* (ratione non sui, sic enim substantiæ sunt, sed subjecti cui per accidens insunt sic dictæ) in mistis corporibus sine lege sine ordine stabulantur, imperioq; formæ specificæ subsunt. Hinc tanta nutrimentorum simul ac medicamentorum virtus, tamq; efficaces operationes quæ formæ arguunt præsentiam, nisi velimus accidentia operari sine subjectis, quod impossibile est. Egregium & notum nobis exempl. sistit Clariss: Sperling. in sua Physica, de capra, nutrice, & infante pag. m. 83.

VIII. 3. *Partiales*, membrorum partiumque certarum corporis formæ sunt, ut hepar potentiam habet generandi spiritus naturales & per venas in totum corpus distribuendi: cor potest spiritus vitales generare, perque arterias in corporis partes cunctas dispergere: cerebrum generare spiritus animales potest ac per nervos ad operationes sensuum perficiendas, corporis partibus communicare: ventriculus potest nutrimentum concoquere: pulmo respirare. Tales formas dari arguunt etiã operationes diversæ diversarum corporis partium, postquam forma specifica viventis corporis emigravit.

IX. 4. *Generica in specie dicta*, est communis formæ conceptus plures sub se species comprehendens ut anima sensitiva &c. in homine.

X. Formas plures in uno corpore cum esse dixerimus, intelligendum id est de formis subordinatis, accidentarijs & partialibus. Specifica forma in uno corpore non nisi unica est, aliàs si plures adessent formæ specificæ, quarum unaquæq; propriam constitueret speciem,

ciem, non jam una species vel corpus unum, sed plures etiam essent corporum species. Hoc quoq; non inutiliter teneri potest, quod corpora simpliciter etiam quoad existentiam pura, & ab omni extraneorum consortio libera, qualia cælum & corpora cælestia, ne plures quidem formas subordinatas, accidentarias, vel partiales admittant. Secus verò se res habet in corporibus subcælestibus; etsi inter illa quoq; Elementa, utp. corpora simplicia, incorruptibilia & inorganica, formas subordinatas & partiales non agnoscant. Imò nec facile dixerimus, corpora mixta inanimata, & partibus destituta organicis, partibus formis prædita esse.

XI. Specifica, quæ speciem absolvit, qualitatum & operationum radix, omnium perfectissima præstantissimaque forma est, materiæ nunquam indolem subit: hæc rei perfectio, hæc ultimus actus est, nullam superiorem nec parem supervenientem agnoscit, ipsa namq; supervenit reliquis, ipsa dat esse rei, dat distingvi, dat operari, non quodvis, sed specificum, quando cum materia altera compositi parte speciem constituit.

XII. Dividitur forma secundò in immaterialem & materialem. Immaterialis, quæ extra materiam existere potest, Materialis, quæ extra materiam existere non potest.

XIII. Antequam ad originem formarum plenius deducendam descendamus; haud incommode geminus Corporum Naturalium considerari ortus potest: quorum quædam per creationem, quædam per generationem cæperunt. Per creationem quæ sunt producta, immediatè Deo; per generationem verò orta, genitoribus suis formarum ortum debent. Nam species omnes rerum Naturalium quod concernit, ut eæ sunt primitivè à Deo condita; ita earundem formæ, in & cum illis ab eodem conditore productæ. Quod verò specierum conservationem per generationem individuorum attinet, sic forma generatorum

communicantur à suis genitoribus in ipso statim generationis actu, adeo ut mediante semine, vel principio seminali, forma numero diversa & nova, specie tamen eadem, non à materiâ, non ex materia, neq; ex formâ, sed à forma, juxta ipsius Dei primam benedictionem & nutum, propagetur. Sed hic diversa sanè diversi, & multi multa loquuntur.

XIV. Opinionum formas è potentia materiæ educentium, patroni, in varios educationis modos abeunt, variaq; diverticula quærunt, adeo ut nec sibi ipsis, nec animis veritatis amantibus satisfaciant; in hoc tamen omnes conveniunt, quod sese torqueant plurimum, deq; hilo (ut dicitur vulgo) desudent: Pleriq; tamen eorum in hanc inclinant sententiam, formas nec fieri, nec esse, nec operari posse nisi è potentia & virtute materiæ dependeant; nimirum eas primùm potestate in materia latere, quâ nonnihil præparatâ & elaboratâ, demum beneficio virtutis formatricis (quam *δύναμιν πλαστικὴν* dicunt in materia hærentem) inde educi, excitari, atq; accendi, adeo ut quæ hætenus potentiâ erat, nunc actu esse, vivere, & corpus informare incipiat. Quam eorum sententiam ut erroneam & veritati dissonam, cum modernis rectè philosophantibus, sequentibus rationibus, dabimus refutatam.

XV. Si namque forma è potentiâ materiæ educeretur; tum α. Accidens, quod est virtus prolifica, produceret tam nobilem & præstantem substantiam, quæ forma est, quod prorsus impossibile. β. Extra subjectum suum, accidens non solum daretur, sed & operaretur, quod *ἀφελόσοφον*; *δύναμιν* enim *πλαστικὴν* quæ non materiæ sed formæ potentia est, extra eam ceu subjectum, quomodo dari & operari posset? γ. Materiæ forent formæ, atq; sic corpora, principiata (intrinsicè
secè

secè) non principia; cum tamen forma *immaterialis*, quæ humana, spiritus est; *materialis* verò quamvis non spiritus, analogæ tamen spiritibus naturæ, neutra materiata vel corpus. *ð*. In contradictorium hoc principium idem simul esse & non esse, impingeretur. Et, *e* effectum nobilius foret suâ causâ. Hinc, omissis plurimis alijs evidentibus rationibus, firmiter evincitur formas haudquam è potentia materiæ educi.

XVI. Introductionis formarum defensores sunt, qui in materiam præparatam naturali quadam necessitate, eas vel per influxum cœlestem, vel per calorem solis infundi statuunt; quorum vera neq; potest esse sententia. *i*. *Etenim, influxum cœlestem* quod concernit, nequaquam per illum introducuntur formæ; quippè quæ determinata sunt ac particularia effecta, determinatam quoq; postulantia causam: Universalis ille influxus insufficiens est, & ad certum effectum minimè determinatus. Cœlum quoq; inanimatū, quomodo effectui, *vz formis* viventium daret, quod ipsū non habet? *2. Calor solaris* qui causâ solum instrumentalis vices sustinet, non satis potis est ad inducendam formam; ad causam principalē à qua in producendo causato instrumentalis dirigatur, potissimum attendendum; Sententia hæc præterea omnem univocam generationem evertit & tollit. Quam ut odiosam & absurdam nobiscum egregiè refutant Subt. Scal. Exerc. 6. f. 5. p. 28. & Laud. Senn. lib. de Cons. & Diss. Ch. c. 9. p. 92.

XVII. Mixtam qui sovent sententiam, educationem pariter ac infusionem formarum defendentes, huc refugium sumunt; quod *Forma que materiales* dicuntur, educatur è potentia materiæ: *Immaterialis* verò, *qua humana est* per infusionem communicetur. Verum hæc sententia partim ex præcedentibus refutata est, partim ex sequentibus refutari potest.

XVIII. Nunc demum per translationem conabimur
formarum verum adserere ortum. De primavâ spe-
cierum omnium Creatione nullum est dubium, quin
earum formæ, ut prius dictum, simul cum ipsis, à Deo
primitus sint productæ: sed illud nunc in controversiâ
versatur, undè hodiè proveniant in generationibus physicis,
quando nova individua certarum specierum producun-
tur. Quamvis variæ veterum ac recentiorum, ut mo-
do patuit, sint opiniones: Nos tamen fundamento præci-
puè S. Sacræ & rationibus suffulti, certò statuimus, formis
à Deo hanc vim & efficaciam primitus inditam esse, ut
possint semetipsas propagare & multiplicare secundum
suas species, idq; vi divinæ benedictionis omnibus cor-
poribus corruptibilibus factæ, ubi Deus Gen. i. v. 12. seqq.
*Dixit: germinet terra germen, herbam producentem semen,
arborem fructiferam facientem fructum, juxta speciem suam,
cui insit semen suum super terram: Item crescite & multipli-
camini &c.* Propagantur E. formæ à generante scilicet,
mediante semine per traducem, veluti lumen de lumine
accensum; quando enim faci ardenti admovetur fax a-
lia, ibi tum ignis sese multiplicat, & in alteram quoq; fa-
cem se promovet, non per sui partitionem, nec per tot-
talem sui in alteram facem transmissionem, sed per no-
vam novi luminis accensionem. Pariter ferè res sese
habet in generatione physica, ubi omnis forma sui est
multiplicativa juxta speciem suam, unde tale necesse
potest argumentum. Quicquid sibi simile in specie
producit, id etiam formam illius speciei producit: cum
absq; forma nulla species detur in corporibus, at corpo-
ra naturalia in generationibus sibi simile in specie pro-
ducunt. Ergò, Obiter tam en nota res Naturales duorum es-
se generum: quædam enim sunt quæ essentiam formam-
quæ

quæ à Deo semel acceptam retinent, ac se non multiplicant; ut cœlum & corpora cœlestia. Aliæ verò quoad individua sua intereunt, sed earum species perennant & perdurant in suis individuis, quæ per generationem producuntur.

XIX. Tradux propriè propago est, seu pars ab arbore secta & in aliam traducta. Hinc terminus metaphoricè sumptus, ita ampliatur ut ad multiplicationem formarum quamlibet sit relatus: unum hoc præ se ferens, quod generans communicet genito formam, non suam, vel totam, vel divisam, sed sui similem per novam novæ formæ specie ejusdem, numero vero diversâ, productionem. Sic formam suam habet homo ab homine, brutum à bruto, arbor ab arbore. Ubi tamen hoc tenendum, quod hæ formæ ante sui multiplicationem fuerint purum nihil negativum, quia quod ex nullâ materia fit, ex nihilo producitur; sola enim corpora ex materia fiunt, at formæ corpora non sunt, sed in & cum materia propagantur, non tamen ex materia ut superius dictum est.

XX. Unum verò admiratione dignum, de formis haud injuriâ dici meretur, quod formæ quamvis non quantæ nec divisibiles sint, omnes tamè materiæ suæ particulas ita adimplent, ut sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte totius: ubi autem dicitur formas materiales ad extensionem materiæ esse extensas, vera extensio non est, nec aliqua rigorosa philosophandi ratio; sed potior, levioribusq; premitur difficultatibus sententia, si dicamus ejusmodi formas per sui præsentiam seu per replentiam quandam (ut ita jam loqui liceat) totam replere materiam; quod cum Laud. Frommio & clarissimo Thuronio p. t. Academiæ Aboënsis Rectore magni-

fico, in opère ejus Metaphysico p. m. 157. probari posse videtur seq argumento, *Quicquid non est ubiq; & spatium tamen non occupat, nec circumscriptionem admittit localem, illud est in ubi definitivè, at formæ materiales.* E. Alij quoq; clarissimi, hoc ipsum docent, philosophi: inter quos Meisnerus in Phil. Sob pag 1037. Sect. 4 *Si formæ quantæ sunt, statuenda est dimensionum penetratio, quæ tamen ab omnibus Natura consultis veluti res impossibilis dudum est proscripita.* Arist lib. 7. Met. c. 7. inquit, omnis forma consistit *ἐν ἀτόμῳ*: ubi & numero comparatur, cui sive aliquid demas, sive addas non manet idem quod antea erat. Scal. exerc. 12. s. 2. *Non patiuntur formæ divisionem, sed exerc. 101. l. 15. cum formæ se extendit in materiam novam applicatam, promovet se non augetur.* Exerc. 307. l. 12. *Formam si dixeris, immaterialitatem & simplicitatem intelligas.* Exerc. 307. sect. 17. *adeo divina res forma est, ut cum sit substantia aliam totam sui impleat substantiam, ut ex utraq; fiat unum.* Verùm monstratur hic firmius contrarium & acquiescemus.

XXI. In differentia porrò quadruplici formæ ponuntur, adeo ut earum; *Primus gradus* largiatur solum esse; ut formæ corporum simplicium, & mistorum in animatorum, lapidum, metallorum, mineralium. *Secundus* formarum gradus, esse det & vivere, diciturq; anima vegetativa; ut in plantis, herbis, arboribus. *Tertius*, esse, vivere & sentire conferat; ut in brutis animalibus, nuncupaturq; anima sensitiva. *Quartus*, esse, vivere, sentire, & intelligere exhibeat, qui supremus ac perfectissimus formarum gradus est, solumque animam comprehendit rationalem.

XXII. Nota. I. *Anima vegetativa non est forma specifica plantarum, sed generica: nec esse vegetativum de se importat quandam cujuslibet plantæ speciem, sed denotat modum*

modum perfectionis essentialis, qua in formam cadere potest, scilicet largiri primum vita gradum qui oritur ab anima vegetativa. Ita nequè sensitiva anima specifica est brutorum forma, sed qualibet species suam & certam possidet specificam.

XXIII. 2. Anima vegetativa & sensitiva ab intellectiva in homine non differunt R & sed solum CONC&PTU; Hæc enim ob facultatum & operationum convenientiam, quam cum illis inferioribus animabus habet, varios admittit conceptus, Posterior tamen formarum gradus semper includit priorem, ut ternarium quaternarius: Inferiores enim possunt carere superiori, sed superior in se & sub se eas complectitur non secus ac ignis se in continet calorem & lucem. Una eademquè superior, præstat omne id quod possunt omnes inferiores.

XXIV. 3. Forma materiales non omnes sunt ejusdem dignitatis sed. 1. Rerum inanimatarum forma reliquis ignobiliores, habentquè hoc sibi peculiare ut in divisis multiplicari, in conjunctis vero coalescere possint. 2. Forma brutorum his sunt præstantiores & nobiliores, abscissaquè materia particulâ, non mutilantur sed potius retrahuntur, & sicut in materia accretione non extenduntur, sed tantum sese promovent: sic in ejus divisione non dividuntur, sed ex parte qua abscinditur, remeant & quasi retrocedunt: dissecto ergo vermiculo, in plures particulas, quamlibet movere sese videmus, non tamen motus ille in omnibus ab ipsa forma est, sed ab ipsis spiritibus agilioribus, qui adhuc post discessum animas corporis particulas aliquantisper agitare possunt.

XXV. Coronidis loco interitum formarum paucissimis attingendo, statuimus cum præstantissimis Philosophis, eas (exceptâ animâ humanâ quæ spiritus est,

tus est, ac proinde immortalis, incorruptibilis, & se-
parata à corpore verè superstes manet) quæ corrupti-
bilitatem formæ sunt, extra materiam nequaquam exi-
stere posse, sed unâ cum materia annihilari, ac pror-
sus perire. Atque sic instituti ratione habitâ
finem facimus.

Gloria sit Patri, sit Nato gloria, Sancto
Gloria spiritui, Triadi sit gloria semper.

Ad Virum - Juvenem,
Venerabilem atq; Humanissimum
DN. PETRUM WAGNERUM,
S. S. Theol. Studiosum indefessum & Philoso-
phiæ Candidatum pereximium, Ami-
cum dilectum.

Quicquid in hoc rerum naturæ visitur orbe,
Materiæq; trahit semina fluxa suæ:
Id fert acceptum *Formis*, quod sit, *vigeatq;*
Namq; satis *Forma* est dotibus aucta suis,
Formarum idcirco quia sunt hæc munera tanta,
Illas nemo satis lumine mentis obit.
Rem, WAGNERE, probam præstas nobisq; probandam
Abdita *Formarum* quod referare cupis.
Perge tuis ausis patriæ inservire, Deoq; ;
Fama manet tandem nominis ampla tui.

*Extemporalem hanc gratulationem
apponere voluit*

P R Æ S E S.

1860

8